

gustiis sitam arcem , cuius præsidio potissimum Cæsar nitebatur , partim pulsis , partim cæsis militibus , occupat . Ejus rei nuntio a fugientibus Oenipontem nocte media allato , insuetus adeo timor , ac trepidatio cunctos incessit , ut ne in hostium potestatem perveniret Cæsar veritus , fugienti similis itineri statim se committere decreverit . Itaque Joanne Fedrico , olim Saxonum Duce , libertate donato , citissime regio comitatu per aspera montium , ac præruptos saltus , nunquam intermisso itinere , Brunecum , inde *Villacum* (Julium olim Carnicum dictum ) Carinthiaæ oppidum ad Foro Iuliensium fines , contendit ; Mauritio , a fide minime discessisse , dictante , quod inducias in diem octavum kalen. junii pepigerat , quæ vero sequuta fuerant , duodecimo kalen. accidissent : qui mox in triumphi morem Oenipontem ingressus , Cæsarisque supellectile potitus , tamquam hostium manubias suis militibus dispertiit ; cum interim Cæsar Villacum summa adeo omnium consternatione pervenisset , ut , in Carnis equites cogi licet falso nunciantibus , haud exiguo timore cuncti afficerentur , ne Veneti , cum Gallis ac Germanis fœdere iecto , illum adoriri decrevissent . Verum eas de Venetis suspiciones Dominici Mauroceni legati prudentia discusit , qui Reipublicæ eximiam in Carolum voluntatem testatus , nullius Principis , vel afflictis , ac prostratis rebus ad res suas augendas ullo unquam tempore uti assuetam , constantissime affirmavit . Qua ex re confirmatus Cæsar , Venetorum prudentia , atque in se ipsum studio mirifice commendato , quod difficillimis temporibus , dum acerbe adeo in illum hostes sœvirent , constanter amicitiam retinuissent , Senatui gratis egit . Eo eventu adepta præteritis egregie gestis Cæsar's gloria haud parum obscurari , atque imminui visa est , quod is , qui nuper tot victorias retulisset , Germaniamque in primis reluctantem perdomuisse , eorumdem Germanorum armis jactatus , præceps turpi fuga se recipere , ut vix parvo oppido tutus consisteret , coactus esset : insigni certe humanarum varietatum exemplo , quo sœpe fit , ut dum sibi summum felicitatis fastigium mortales attigisse videntur , continuo dejecti , in imum miseriarum provolvantur .

1552

*Joannes  
Federicus  
libertate a  
Cæsare do-  
natus.  
Carolus Cæ-  
sar Villacū  
se recipit.  
Mauritius  
Saxonum  
Dux Oeni-  
pontem in-  
greditur.*

*Dominicus  
Maurocenus  
ad Cæsarem  
orator.*